

S. Ad lectorem.

Blud nolle te lateret candide lector, pro viribus nos
laborasse ut antiquę versionis series verbāque, quoad
eius fieri posset & liceret, seruarentur integra: ne ru-
diores Pharmacopolæ, & Medicinæ velites nouitate
ordinis vel verborum deterriti (sunt enim quędam nostris tem-
poribus Arabicè prolata notiora illis, quam si eadem Latinè vel
Grēcè dicerētur) versionem nostram auersarentur. Ob id barba-
ris vocabulis quandoque vti sumus coacti, vt partem historię im-
peritoribus accommodaremus. Nonnulla quæ desiderari vide-
bantur in orationis contextu, vel ad clariorem doctrinam face-
re, lineolis his [] interclusimus. In quo opere si quid à sententia
tua comperies alienū, obnixè oro, ne protinus carbone id notes.
sed apud te cogita, id, & si testimonij aut rationibus non erit ful-
tum, aliqua tamē ratione vel testimonio autoris alicuius non tri-
uialis nos ductos, id literis prodidisse: neque omnino vanum esse
quod vulgò fertur: tot esse hominū sententias, quot capita. Auto-
rum testimonia interdum cōsultò pr̄teriuimus: ne typographo
vel tibi, pr̄sertim in arte Medica prouecto, stomachum mouere
mus. Qualiacunque denique nostra erunt, oratum te velim, vt ea
æquibonique consulas. Vale.

